

## CIRCARIA DANIAE ET NORVEGIAE PRAEFATIO

Iam saepius historici ordinis nostri magno cum zelo, sed minore cum successu conati sunt, indicem completum ac fide dignum omnium canoniarum ordinis componere. Extant indices ex medio aevo <sup>1)</sup>, quorum fide tamquam primus Servatius de Lairuelz elen-

1) Generatim putabatur indicem quem habet Le Paige in sua Bibliotheca Praemonstratensi, et qui habetur etiam in Repertorio Waefelghem, esse unicum et constituere quasi formam indicum, ab ordine propter introductionem divisionis in circarias anno 1320 impositam. Putabatur insuper omnes ceteros indices manuscriptos ab eo esse descriptos, nec multum ab illa forma, quae nuncupabatur «Catalogus 1320» esse distinctos. Haec opinio est omnino falsa. Iam Fr. Julius Evers (*Analecta Praem.*, VI, 1930, p. 424) agnoscit magnum valorem antiquorum indicum, ac recte putavit studium eorum comparativum esse opus indispensabile. Ideo comparavi quatuor alios indices manuscriptos inter se et cum Catalogo Le Paige, ac minutius studium hac de re institui, de quo evidenter hic pauca tantum referre possum. Inveni sequentia : Quatuor catalogi, nempe duo Tongerloenses (ex archivio huius abbatiae, saec. XIV), unus ex Hilgenthal (ex Ratsbücherei Lüneburg, anno 1458, Ms. Theol. 20 84) et Catalogus Le Paige sunt omnes quidem ut ita dicam, «synoptici», sed nihilominus satis inter se differunt per additiones et correctiones diversas. Pro eo qui habet sufficientem scientiam palaeographiae, comparatio horum paucorum indicum iam satis dirimit maiorem partem dubiorum et difficultatum. Hi quatuor videntur esse singulae copiae alicuius originalis anterioris, quia statum praebent nequaquam anni 1320, sed saeculi XIII. Quintus vero catalogus cuius photocopiam mihi procuravi, est Ninivensis, qui continetur in «*Libro Monumentorum Ecclesiae SS. Cornelij et Cypriani juxta Ninive*» (Archiv. Archiep. Mechlin., fol. 235/40), et qui est omnino independens et maximi valoris pro historia ordinis per uberrimas annotationes quibus auctus est. Duplex est iste index, primo habet elenchum secundum circarias divisum, secundo alium fusiorem indicem secundum regna et ditiones. Est copia saeculi XV, originale vero scriptum esse videtur inter annos 1234 et 39. Adducit nempe permultas annotationes ex decretis capitulorum generalium huius temporis. Quoad Circariam Saxoniae (Visitatio Cap. Gen. per praepositos Saxoniae) habet decretum capituli Generalis anni 1234, non vero solutionem definitivam anni 1239. Pro Circaria Hungariae habet novam divisionem paternitatum ex anno 1235, hucusque, in quantum scio, ignotam, et illi anno 1294, quo canoniae hungaricae abbatiis bohemicis subiectae fuerunt, longe praeiviam. Nomina non sunt tam mutilata in illo catalogo quam in aliis, cuius auctor Flandrum se esse prodit scribendo «Rodekerke» pro abbazia Rothenkirchen in Germania.



chum prelo edidit<sup>2)</sup>. Asserit quidem zelosus ille reformator se scientiam suam e multis antiquis manuscriptis et indicibus collegisse, sed ut historicus omni peritia et spiritu critico caruit; multa male legit, multa duplicat vel triplicat, plura omittit et confundit. Non erubuit Lairuelius, ad augendam gloriam, ordinis abbatias et praesertim ecclesias cathedrales proprio Marte conficere, ut Linoma et Rilzmadum; canonicas vero, quarum situs ei fuit ignotus et de quibus nihil potuit certius eruere, impune collocavit in « Ultimam Thule » Scandinaviae, Scotiae vel Saxoniae, ubi examini lectorum suorum subtractae fuerunt (v.g. Gratfex et Strebna, secundum Lairuelium in Scotia — revera Gratteri in Sicilia et Strzelno in Polonia). Hoc vero non in omni casu adscribi debet malae voluntati Lairuelii nostri, quia saepius in antiquis indicibus una alterave linea, circariam vel situm indicans fuit omissa vel oblita, ita ut videatur aliqua canonica pertinuisse ad circariam praecedentem, juxta ordinem elenchi. Ideo elenchus eius parum vel nihil sub respectu historico valet, immo est causa omnium errorum, quae usque ad nostra tempora in libris de ordine inveniuntur. Ch. L. Hugo, abbas Stivagiensis et annalista noster, fuit quidem historicus maximi ponderis. Profundam scientiam ac zelum indefessum conjunxit cum sano spiritu critico. Sed apparatus scientificus illius temporis nondum fuit ita excultus ut opera tunc scripta exigentiis nostris quoad omnia adhuc sufficere possint. Hugo, etsi saepius cunctanter, fere omnia menda Lairuelii transsumpsit ac deinceps omnes scriptores absque critica emendatione eos secuti sunt. Unicum opus modernum post Hugo, quod tamquam « Monasteriologia » etsi succincta considerari potest, est Repertorium illud Fr. Raphaelis van Waefelghem, canonici Parcensis. Multa bona et utilia praebet, sed summarie consideratum, sequitur fideliter Lairuelium, ideoque opus eius, fatentibus omnibus recensoribus<sup>3)</sup> vix ac ne vix quidem satisfacere potest.

Monasteriologia ordinis nostri, exigentiis scientificis vere suf-

---

Ex quibus concludi potest, divisionem ordinis in circarias iam saeculo XIII fuisse introductam, quod et aliunde constat, verbi gratia ex facto, quod canonicae Angliae iam anno 1288 in tres circarias fuere partitas.

2) In sua « *Optica Regularium* » (Pont-à-Mousson 1603), pp. 383-422.

3) RAPH. VAN WAEFELGHEM, « *Répertoire des sources imprimées et manuscrites relatives à l'histoire et à la liturgie des monastères de l'Ordre de Prémontré* » (Bruxellis 1930). Titulus iste scopum libri satis quidem restringit, nihilominus fusa recensio Fr. Julii Evers in Anal. Praem., VI, 1930, 422-26, haud est favorabilis. Huic recensionem, quam consulat benevolus lector, nil addere volo. Recensio quam ipse tunc juvenili cum temeritate ac nimia cum praecipitatione scripsi (Anal. Praem., VII, 1931, 172-82), circa multa nunc esset retractanda et corrigenda.



ficiens est unum ex maximis desideratis historicorum nostrorum. Antequam historiam singularum domuum vere scrutari possumus, primo sciendum nobis est quae et quot domus revera extiterint. Sed de hac re, dum nullos alios fontes habemus nisi Lairuelz, Hugo et Waefelghem, maxima adhuc viget incertitudo. Dolendum est valde, quod errores illi, sanciente ipso Waefelghem, intrusi sunt etiam operibus scientificis sicut « *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique* » (Parisiis 1928 sq.) et COTTINEAU, *Dictionnaire des abbayes* (Macon 1935 sq.). <sup>4)</sup> Dum alii ordines iam diu elenchos scientificos ac monasteriologiam ab expertis et eruditis viris conscriptos possident, tale quid apud ordinem nostrum adhuc desideratur.

Opportunum ergo videtur, ut minimum quid dicamus, conamen instituendi, operibus extantibus meliora substituere. Etsi in parva canonica nostra in silvis abscondita maxima laboro difficultate ut tale opus aggrediar, ausus tamen sum inde a pluribus annis materiam colligere ac monasteriologiam succinctam incipere. Iam decem circariae ad prelum sunt paratae, ex quibus circariam danicam tamquam specimen infra propono. Evidenter pro aliis circariis longe fusiorem materiam possum praebere. Sed manet, ut dixi, difficultas. Maiori bibliotheca careo, longiora itinera studiorum causa instituere pro momento non valeo, ideo tantum ex transmissione librorum competentium ex bibliothecis universitatum et ex intensa collaboratione epistolari cum expertis viris in exteris regionibus materiam sufficientem obtinere possum. Atqui pro diversis circariis tales collaboratores usquedum non obstante diligentissima inquisitione invenire nequivi. Ideo enixe rogo benevolos lectores ut mihi vel ipsi, si possunt, auxilium praebeant vel nomina expertorum quos adire possim mihi indicent, quoad sequentes regiones : Hispania, Lusitania, Italia Graecia et — mirum simul ac dolendum — praesertim Gallia !

Materiam pro Circariam Daniae hausi ex insigni opere « *Repertorium diplomaticum Regni Danici mediaevalis* » (Hafniae 1895-1939), ex relictis scriptis Fr. Alphonsi Zak, qui extensam correspondentiam cum historicis scandinavibus habuerat, praesertim vero ex informationibus mihi praestitis a regiis archivis Osloensi (Dr. Johan Agerholt), Hafniensi (Dr. Axel Linvald) et Holmiensi (Dr. Stefan Söderlind).

---

<sup>4)</sup> Quod opus forsitan adhuc minus scientificè conscriptum est quam repertorium Waefelghem. Sed usquedum est unicum lexicon in suo genere quod existit.



## CIRCARIA DANIAE ET NORVEGIAE

Circaria illa, « in margine Europae », sita, repraesentat quidem ordinem nostrum in Scandinavia, sed complectit Daniam et Norvegiam tantum. Hodie maior pars pristinorum eius domuum sita in Suecia, sed est notandum, provinciam meridionalem istius regni, Skåne, usque ad annum 1658 pertinuisse ad Daniam, idem dic de pago suecico Bohuslän, qui usque ad eundem annum ad Norvegiam spectabat. In antiquo regno Sueciae, sicut in reliquis territoriis septentrionis ordo noster nullas habuit domus.

Pauci fuerunt tunc temporis habitantes in istis regnis septentrionis, vix evangelio tunc subiectis, exiguusque relativus numerus monasteriorum, ideo unaquaeque domus religiosa illic fundata multo maiorem influxum habuit quam in ceteris partibus continentis nostri, monasteriis innumeris iam a saeculis consitis, coenobia singula solebant habere.

In Dania proprie dicta ordo noster habuit ecclesiam cathedralem de Börglum, quae fuit de ditissimis ac insignissimis coenobiis totius regni, cum dependente vicino parthenone Vrejlev. In Norvegia haud septem, ut fabulantur indices nostri antiqui, sed duas tantum cano-nias possedit nostra religio.

In quibusdam catalogis separatim, quasi tamquam propria circaria, adducuntur canoniae hujus regni. In Suecia vero meridionali, quae ut supra dixi tunc ad Daniam pertinuit, quattuor abbatias, quarum una, SSmae. Trinitatis in Lundis, certe quidem extitit, sed post breve tempus iterum fuit extincta. Praeclara fuit inter illas praesertim Tommarp, canonica splendida atque spectabilis. Parthenones haec circaria duo habuit tantum, praeter Vrejlev supra laudatum, etiam (ut unicum monasterium duplex) Oeved, cuius moniales, quarum existentia ex obituariio Capituli Cathedralis Lundensis probatur <sup>1)</sup>, paulo post foundationem iterum videntur desiisse.

Ordo noster translatus est in has regiones versus annum 1155 ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi <sup>2)</sup>, omnium religiosorum fau-tore eximio, cui revera nomen fundatoris totius fere circariae Daniae

1) WEEKE, opus infra citatum, sub 1 Febr., 15 et 24 Mart.

2) Eskillus (Eschyllus, Eskil, recte Eskild) e regio stirpe ortus, fuit episcopus Roskildensis annis 1134-38, dein archiepiscopus Lundensis 1138-79. Metropolita ac Primas Daniae et Sueciae, Legatus apostolicus ac Vicarius perpetuus ab Hadriano nominatus. Resignavit anno 1179, senio fractus, obiit tamquam monachus cisterciensis in Claravalle (Clairvaux) in Gallia anno 1182. Obituarium Praemonstratense laudat eum ut benefactorem ordinis sub die 7<sup>a</sup> septembris.



competit. Sex, vel ad minus quinque ex octo domibus Circariae ab eo, vel eo favente sunt fundatae.

Superiores hac in circaria non fuerunt praepositi ut in vicina circaria Saxoniae, sed abbates ab initio; nequidem parthenon Vrejlev a praepositis, ut alibi de more, sed a prioribus fuit gubernatum. Ecclesias incorporatas canonicae illae habuerunt relative paucas, saeculo XIV et XV iam complures ex eis ipsi administraverunt per canonicos in domibus parochialibus, a canoniis exstructis, residentes. Abbates regulariter interfuerunt solemni coetui provinciali, vulgo « Landthing », nuncupato.

De vita interna harum domuum haud multa scimus, quia maior pars archivorum periit, nec umquam aliquis studio eorum historiae expresse incubuit. Pretiosum est nobis « Relictum Visitationis » abbatis de Pudagla, de anno 1443, ut appendix infra huic articulo adiunctum. Vidimus ex eo, disciplinam tunc temporis satis fuisse relaxatam. Sed nihilominus constat, hanc circariam, ut aliae, per saecula optime floruisse, ac fidelitas, qua canonici Burgilavienses simul cum monialibus de Vrejlev suppressioni restiterunt, malentes pauperes ac despecti in coenobiis suis suppressis vitam finire quam haeresim amplecti, optimum testimonium est pro excellenti eorum spiritu.

Relationes circariae Daniae probantur fuisse vivae cum Gallia (a capite ordinis se numquam, ut alii, separaverunt, vel obedientiae se subtraxerunt), et praesertim cum vicinis circariis Slaviae, Saxoniae et Frisiae.

Religiosi sanctitate vel scientia aliquatenus excellentes de hac circaria nominatim non sunt nobis noti. Sperandum est, per diligentius studium gloriam ordinis nostri adhuc posse augeri, praesertim cum scimus ecclesiam Börglum habuisse praeclaram scholam.

Tota circaria extincta est per haeresim lutheranam. Dragsmark iam antea, anno nempe 1519, fuit suppressa, annis 1529-38 secutae sunt ceterae. Aedificiorum, quorum studio architecturali dedicavit lepidissimum opus modernus quidam auctor <sup>3)</sup>, maior pars ad solum usque est deleta. Structurae illae fuerunt, et partim adhuc sunt, eximii valoris pro historia artis, ut ecclesiae in Tönsberg,

---

3) LORENZEN (opus infra citatum) tractat historiam canonicarum in antiqua Dania sitarum sub visu architecti tantum. Putat inter alia, canonicas illas moeniis non fuisse circumcinctas, ac ideo clausuram in eis ad aedes ipsas fuisse restrictas. (Cfr. Recensio *An. Praem.*, II, p. 94) — opinio cui vix fidem praebere possumus.



in Börglum, et in Vå. Splendidissimi ex eis aedificii, canonicae nempe de Tommarp, totalis interitus, pro dolor, est plangendus.

Nostri diebus ordo reversus est in Scandinaviam : Abbatia Averbodiensis administrat duas parochias in Dania, Esbjerg et Vejle.

*Fontes :*

- Acta pontificum Danica*, København 1904-43  
*Bullarium Danicum*, *ibid.* 1932.  
*Diplomatarium Danicum*, R. 2, *ibid.* 1938-46  
*Diplomatarium dioecesis Lundensis*, Lund 1900-39  
*Diplomatarium Norvegicum*, Christiania 1847-1914  
*Diplomatarium Suecanum*. Holmiae 1829-1936  
*Repertorium diplomaticum Regni Danici mediaevalis* (1a series), Hafniae, 1895-1912, (2a series) *ibid.* 1928-38).  
*Scriptores Rerum Danicarum*. Havniae 1772-1878 (edd. J. Langebek) tom I-VIII.

*Bibliographia.*

- C. WEEKE, *Libri Memoriales Capituli Lundensis*, København 1884-89  
J. B. DAUGAARD, *Om de danske Klostre i Middelalderen*, *ibid.* 1830  
Ch. LANGE, *De Norske Klostres Historie i Middelalderen*, Christiania 1856.  
R. KEYSER, *Den Norske Kirkes Historie under Katholicismen*, I et II, *ibid.* 1856  
L. WEIBULL, *Bibliotek och arkiv i Skåne under medeltiden*, Lund 1901  
*Id.* — *Skånes kyrka från älsta tid till Jakob Erlandsens död 1274*, Köpenhamn 1946  
V. LORENZEN, *De danske Praemonstratenserkløstres Bygningshistorie*, København 1925 (recens. in *Anal. Praem.* II 1926 91-95)

1) VAE-BAECKASKOG

Haec abbatia fundata est circa annum 1170 in

VAE (Vae, Auue, Uue, Vue, Abbio ?)

prope Kristiansstad, Prov. Skåne, Dioc. Lund, Suecia.

Fundatores fuerunt Waldemar I., Rex Daniae et Eskil Archie-



piscopus Lundensis. Filia de Tommarp. Langebek VIII 316 dicit eam filiam fuisse de Börglum. Combustum anno 1213. Ecclesia romanica, adhuc aubsistens, habuit usque ad annum 1810 duas pulchras turres. Versus annum 1250 translatum est in

### BAECKASKOG B.M.V.

(sic dicunt Sueci, forma danica est Baekkeskov)

Balkiaschogg, Bekkeskough, Bekkeschov, Saltus Stae. Mariae, Marieskog

in parochia Kiaby prope Kristiansstad, amoene sita inter duos lacus. Vae facta est parochia incorporata, sicut Skepparslöv et aliae. Ecclesia adhuc subsistens, annis 1270-90 in stylo transitionis erecta, est parva. Nomina 13 abbatum sunt nota. Anna 1537 suppressa, hodie est castellum.

Archivum : perpauca in Bibl. Universit. Hafniae

Literatura : HUGO, I, 233 et II, 831 (ex ea facit duo monasteria, quorum unum collocat in Scotiam) — DAUGAARD, 155-58 — LANGEBEK, III, 509, VIII, 316 — J. MESSENIUS, *Scandia Illustrata*, II, 6 — *Dipl. Suec.* I, 78 — *Dipl. Dioec. Lund*, V, 26 — LORENZEN, o. c.

### 2) BOERGLUM B.M.V.

Burlina, Byrlum, Burgillam, Burgilavium prope Hjörning, in extremo septentrione Daniae.

Ecclesia Cathedralis. Sylvester Episcopus de Vestervig (Vendssyl) circa annum 1135 sedem episcopalem inde transtulit in Börglum, ubi anno 1176 successor eius Tycho I, instigante archiepiscopo Lundensi, cathedrali suae capitulum regulare adjunxit ac Praemonstratensibus e Steinfeld advocatis tradidit. Titulus abbatis competebat episcopo, qui nonnisi raro ex ordine fuit desumptus, conventui praefuit praepositus. Capitulum fuit ditissimum, unum ex maximis ac insignissimis coenobiis totius regni, propria iurisdictione civili gaudens, praeclaraque schola praedita. Fuit vere centrum christianae culturae in Dania <sup>1)</sup>. Catalogus Ninivensis

---

1) Atqui « Historia de profectione Danorum in Terram Sanctam » circa annum 1190 potius a Norvego ignoto fuit conscripta quam a canonico Börglumensi, ut historici diu putabant. Cf. Langebek VI, 431, de nova vero sententia vide M. CL. GERTZ, *Scriptores Minores historiae Daniae medii aevi* (Köbenhavn 1922), II, 457-92.



scribit de ea : « Opulentus episcopatus, tamen caret civitate cathedrali. Filia Steinveldensis. Fratres nostri ordinis eligunt episcopum, sed aut numquam aut raro gaudent electione sua, impediante regia potestate. Domus episcopalis est juxta claustrum ad dimidiam leucam ». — Parthenon dependens : Vrejlev. Filiae : Dragsmark, postea etiam Tönsberg (et Bäckaskog ?). Propter coelum asperum canonicis ab anno 1403 habitus niger fuit concessus. Inter capitulum et Episcopum saepe et diu viguerunt rixae, anno 1330 conventus ab episcopo ad tempus fuit expulsus. Ultimus praepositus fuit Antonius de Fürstenberg (1509-33) e nobili genere Germaniae, unus ex praeclarissimis praelatis in Septentrione, irruente haeresi lutherana, ac forsitan insignissimus doctor iuris canonici sui temporis. Anno 1540 canonica fuit suppressa, canonicis fuit permissum, ut in domo sua vitam communem continuarent. Adhuc 1559 eligitur Prior. Abhinc est possessio privata, ad quam adhuc multa bona pertinent. Ecclesia cathedralis, turri carens, in stylo románico exstructa, ac duae alae conventus adhuc supersunt.

Archivum : Arch. Reg. Hafniae

Literatura : HUGO, I, 427 — LANGEBEK, VIII, 316; VI, 431-62 — DAUGAARD, 326-32 — *Dansk Biografisk Lexikon* (Köbenhavn 1935) VII 521-22 — RAKKE, *Kirkhistoriske Samlinger*, IV 465-833 — LÖFFLER, *Udsigt over Danmarks Kirkebygninger*, 84 — TRAP, *Kongeriget Danmark*, V, 214 — P. RIEMANN, *Börglum Klosters Historie* (Hjörning 1941) — LORENZEN, o.c.

### 3) DRAGSMARK B.M.V.

Draxmarchenium, Silva Sanctae Mariae, Mariskog

In provincia Bohuslän, in districtu Läneharad, in Suecia. Usque ad annum 1658 ad Norvegiam et ad diocesim Osloensem pertinuit.

Abbatia, fundata tamquam ultima fundatio ordinis in Septentrione circa annum 1260 <sup>2)</sup> a rege Norvegiae Haakon Haakonson, qui ad hoc canonicos ex Börglum sibi expetivit. Nomina trium abbatum sunt nota. Parochiae incorporatae : Morlanda, Bokenäs. Post mortem abbatis Helge circa annum 1510 Christianus II Rex novam electionem impedivit, ac administratorem saecularem intrusit. Anno 1519, ergo iam ante abolitionem religionis catholicae, suppressa ac anno 1532 alienata est. Nihil superest de aedificiis.

2) ALPH. ZAK noster (*A. Praem.*, IV, 409) dicit eam anno 1234 erectam esse sub Joanne I Episcopo Burgilaviensi.



Archivalia : in Arch. Regiis Osloensi et Hafniensi, et in Göteborg Museum.

Literatura : Deest fere in omnibus catalogis ordinis. HUGO, I, 64 per errorem eam collocat in Pomeraniam. — LANGEBEK, VI, 418, VIII, 317 — LANGE, 473-79 — KEYSER, I, 451-53. II, 650-90 — *Diplom. Suecan.* I 273 — *Diplom. Norv.* IV 3

#### 4) LUND SS. Trinitatis

In civitate ac sede archiepiscopali in Suecia.

Catalogus Le Paige adducit : SS. Trinitatis olim Ecclesia Cathedralis. Hugo II 114 scribit : Archiepiscopum Lundensem Eskillum, magnum fautorem ordinis, ecclesiae suae cathedrali capitulum regulare O. Praem adiunxisse. Atqui haec Cathedralis ecclesia patronum habet Stum. Laurentium, ac omnes historici indigenae in eo consentiunt, quod capitulum eius numquam fuit regulatum. Alii admittunt existentiam abbatiae SSmae. Trinitatis in civitate Lundensi, ab ecclesia Cathedrali independentis, incerti vero ordinis; alii vero dicunt allusiones huiusmodi in documentis factae revera dictas esse de canonia Oved, quae in eadem diocesi sita, eodem patrocinio gaudet.

Respectis vero circumstantiis, « conversi SS. Trinitatis in Lund » qui in necrologio Capituli Cathedralis Lundensis occurrunt <sup>3)</sup> existentiam canoniae huius probant, et obituarium Praemonstratense (ed. V. Waefelghem, ad 7. Sept. et ad 19 Nov.) praesertim vero Epistola Abbatis Wilhelmi de Aebelholt <sup>4)</sup> omne dubium excludunt.

---

3) WEEKE, o. c., p. 208, nota. (Unicus ex historicis indigenis, qui, etsi pertransennam tantum, canoniam hanc ordini nostro attribuit).

4) Beatus Wilhelmus, natione Gallus, abbas canoniae Aebelholt in Dania, Ordinis Sancti Augustini Congregationis Sancti Victoris Parisiensis, scripsit paulo post annum 1180 ad amicum suum Hugonem II, abbatem Praemonstratensem :

« Amantissimo Patri et Domino Hugoni, Dei gratia Praemonstratensi Abbati Frater Wilhelmus de Paraclyto, minister indignus, intimum dilectionis effectum. Dilectio qua nos quondam invicem dilexisse probamur nos ad scribendum constanter impellit, quae non renovari recentioribus possit officiis quia, nisi fallimur, nullo tempore consenescit. Neque enim fas est studium torpere, quod aequa benignitas compensatione gratiae muneratur. Pro venerabili autem fratre et Coabbate nostro Joanne de domo Sanctae Trinitatis in Lundis suscepimus apud clementiam vestram agendum, quia quem benignioris familiaritatis gremio confovemus, nec precibus eius nec necessitatibus deesse volumus vel debemus, maxime cum eius opinio a iustitiae tramite non excedat. Vir siquidem simplex et rectus est, et recedens a malo. Nec apud paternitatem vestram



Videtur ex his omnibus hanc abbatiam fuisse fundatam circa annum 1164 ab Archiepiscopo Eskillo ut filia archicoenobii Praemonstratensis. Unicus abbas e documentis notus est Joannes 1164-89. Constat primam fundationem abortivam canoniae Belbogensis circa annum 1180 ex hac canonía Lundensi fuisse peractam. Post annum 1180 vero surgunt in ea abusus, de quibus abolendis curat, licet in cassum, mater Praemonstratensis. Probabiliter hac de causa fundatio in Belbog non successit.

Ex catalogis de Tongerlo et de Ninove reperimus sortem huius domus, habetur nempe in eis : « Sta Trinitas in Lundensi metropoli, Filia Praemonstratensis, modo prioratus est de ewide. » Ex quo constat, hanc pristinam abbatiam saeculo XIII modeste adhuc extitisse tamquam prioratus abbatae de Oeved. De hoc tantum potest scribere annalista Hugo, dicens : « Saeculo XIV vigeat adhuc in Lundensi ecclesia ordo noster, sicut ex capitulorum et indicum testimonio constat ». (Hugo erronee putabat indices praebere statum saeculi XIV) Quando desiit haec domus, nescitur, deinceps non amplius de ea fit mentio.

In documento quodam anni 1340 abbatia OO. SS. in civitate Lundensi ordini nostro attribui videtur <sup>5)</sup>, sed evidens error, quia hanc abbatiam semper Ordinis Sancti Benedicti fuisse abunde ex documentis probatur.

Literatura : WEEKE, 64, 121, 161, 208, 278, 294 — R. VAN WAEFELGHEM, *L'Obituaire de l'Abbaye de Prémontré*, Bruxelles 1914, ad 7 Sept. — H. HOOGEWEG, *Die Stifter und Klöster der Provinz Pommern*, Stettin 1925, I 13 — *Epistolam Abbatis Wilhelmi* vide etiam apud Langebek, VI, 62. — A. ZAK, *Das Präm.*

eum velut ignotum commendamus, qui de vestri testimonii plenitudine gloriatur. Quod si forte quispiam auribus vestris quidpiam intulerit ore blasphemo, quo laedi debeat eius opinio, ad vestram memoriam veniat, quod beatus Hieronymus dicit... unum est igitur, carissime Pater, quod et rogamus, quod et supplicamus, ut honori ordinis vestri providentes malos tollatis de medio, per quos domus defamatur, per quos, ut audivimus, domus substantia deperit et confunditur ordo... At vero, si, quod absit, vestrae discretionis examen animositatem contradictorum atque rebellium in eadem domo non reprimat, Dominum Archiepiscopum, cuius est frequens et sollicita circa domus religiosas industria, noveritis manus scelerum ultrices apponere, et mediante iudicio praedictae domus enormitates sollicitudine paterna corrigere. Vae igitur eis, per quos scandalum venit... » (*Diplom. Suecanum*, I, 114).

5) Petrus de Vae, Petrus Omnium Sanctorum Lundis, Michael de Götho in Tomathorpe, praemonstratensis ordinis monasteriorum abbates, Petrus Prior... in Dalby, ac conventus locorum et ordinum predictorum... » (*Dipl. Suecan.*, IV, Nr. 3500).



Stift SS. Trinitatis in Lund Sueviae, in *An. Praem.*, VI (1930) 373-75

### 5) OEVED SS. Trinitatis

antiquitus OEfved. Danice övid, övith.

Ouedecloster, Ovedkloster, Ewid, Ewithensis, Insula SS. Trinitatis

Ad lacum Vombsee, non longe a civitate Lundensi, Suecia, Dioc. Lund.

Abbatia, fundata versus annum 1155 ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi ut monasterium duplex, filia Praemonstratensis. Moniales mox abrogantur. Nomina 9 abbatum sunt nota. Parochia incorporata : Oved. Prioratus dependens : Lund SS. Trinitatis (vide supra). Anno 1535 suppressa, anno 1680 adhuc in ruinis, hodieum nil amplius superest.

Archivum : Perpauca in Arch. Regio Hafniae

Literatura : HUGO, I, 653 — DAUGAARD, 167-68 — LANGE-BEK, III, 510, VIII, 316 — L. WEIBULL, *Den skånska kyrkans älsta historia*, in : *Hist. Tidskrift för Skåneland*, V (1914) S. 215ff. — LORENZEN, 78.

### 6) TOMMARP SS. Petri et Pauli

Tommentorp, Tumetorp, Tommerup, Tomatorp, Tumetolph (falso etiam Tupholm, inde apud Hugo confusio cum abbatia anglica huius nominis).

Abbatia, prope Simrishamn, non longe a mare, in Suecia, Dioc. Lund.

Fundata versus annum 1155 ab Archiepiscopo Eskillo, filia Praemonstrati, Mater de Vä-Bäckaskog. Usque ad annum 1230 exercuit paternitatem in abbatiam Usnamensem (Grobe-Pudagla, Circ. Slaviae). Die 22 nov. 1155 confirmatio papalis. Adnexum ei fuit Hospitale ad Stum. Laurentium. Parochiae administratae : Glad-sax, Järrestad, Tommarp BMV, Simrishamn, Ostra Vemmerslöv. Nomina 16 abbatum sunt nota. Saepius fuit combusta, v.g. anno 1304. Abbas Joannes Isakson (1397-1433) et successor eius nova aedificia splendidissime erexerunt. Ad hoc obtinuit canoniam indulgentiam, et permissum fuit ut « tabula monasterii circuiret in tota dioecesi ». Anno 1529 suppressa est, ac a Rege burgimagistro Malmöensi, Georgio Kvik donata. Hodiedum nil de ea superest,



sed evacuati lapides, artificiosissime sculpti, probant hanc canoniam medio aevo de pulcherrimis aedificiis fuisse totius Scandinaviae.

Archivum : 40 Chartae in Arch. Regio Hafniae, cetera in Arch. Regiis Osloensi et Holmiensi.

Literatura : HUGO, II, 997 — LANGEBEK, III, 518; VIII 316 — DAUGAARD, 165-67 — LORENZEN, 77 — Imago ecclesiae apud H. Hildebrand, *Sveriges medeltid*, III 951. *R.D.R.D.M.* (1a ser.) Nr. 20 — *Dipl. Dioec. Lund*, IV, 216.

#### 7) TOENSBERG St. Olavus.

Tunsberga, Olewyn

Mari adiacens, in civitate eiusdem nominis, non longe ab Oslo. Dioc. Oslo, in Norvegia. — Abbatia, fundata, ut fertur, versus annum 1180 ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi. Sed e documentis hoc probari nequit. Prima vice nominatur anno 1190. Filia Praemonstrati, postea vero fuit sub paternitate Ecclesiae Börglumensis. Parochia incorporata : Tönsberg St. Michael. Anno 1289 Capitulum Generale decrevit, quod Abbas Tunsbergensis omni quadriennio tantum, propter nimiam distantiam, Capitulo se praesentare deberet. Nomina 9 abbatum sunt nota. Ecclesia, e duabus rotundis in stylo romanico consistens (aedificata circa annum 1200) maximi momenti est pro historia artis in Septentrione. Anno 1532 fuit suppressa. Episcopus Osloensis anno sequenti in vanum eam ordini conservare conatus est. Anno 1536 igne combusta est, ruina ecclesiae, nuper evacuata, sola superest.

De Graefergos parthenone, et de fabulis Hugonis et Lairuelii de fundatione Tunsbergae vide infra.

Archivum periit.

Literatura : HUGO (erronee duo monasteria ex ea facit), II 981,999 — LANGE, 446-53 — LANGEBEK, VIII 316 — *Diplom. Norvegicum*, II, 26, 29 — H. F. FRÖLIN, *Nordens befästa rundkyrkor*, II, 11-15 — O. A. JOHNSEN, *Tönsbergs Historie*, Oslo 1929 — M. CL. GERTZ, *Scriptores Minores Historiae Daniae medii aevi* (Köbenhavn 1922), II p. 473-74

#### 8) VREJLEV St. Nikolaus

Ureklefenium, Wrechlöf, Uralöf, Wreglöf.

Prope Börglum, Jylland, in extremo septentrione Daniae, Dioc. Börglum.



Parthenon, dependens a Börglum. Anno 1215, haec ecclesia misit canonicum in Romam, ut erectionem parthenonis dependentis impetraret. Quae petitio primo negata est. Sed postea nihilominus successit, iam anno 1253 prima vice in documentis apparet parthenon, quod, a priore et a priorissa rectum, per saecula floruit. Ecclesia incorporata : Hastrup. Anno 1538 suppressum, factumque est praedium regium. Moniales in eo vitam suam finire potuerunt, adhuc anno 1560 verbum fit de conventu. Aedificia partim supersunt. Ecclesia est romanica, gotice fornicata anno 1500, quo tempore etiam aedificia claustralia erecta sunt.

Archivum : in Arch. Regio Hafniae

Literatura : HUGO, II, 1147 — LORENZEN, 38 — DAUGAARD, 332-34 — J. B. LÖFFLER, *Vrejlev Kloster og Klosterkirke*, in *Nye kirkehistoriske Samlinger*, VI 361 ff — TRAP, *Kongeriget Danmark*, V, 205 ff. — LANGEBEK, VIII, 316 — *Kirkehistoriske Samlinger*, 2. R. VI 361; *ibid.* 5. R. III 609

*Praetermissa.*

In antiquis indicibus inveniuntur complura monasteria istius circariae, quae probabilius, immo certe, numquam exstiterunt. Vitam suam debent Lairuelio nostro, patri tot fabularum, qui monasteria alibi existentia, quae identificare non potuit, in ultimam Thule Scandinaviae, Scotiae vel Saxoniae impune collocare solebat.

Annalista noster Hugo, Lairuelio fidens, sex illorum phantasmatum in dioecesim Osloensem reponit. Dicit apud Sigeberg, Beatum Evermodum, Episcopum Raceburgensem, fidem in Norvegia praedicasse, primo ibidem canoniam Tunsbergensem, dein circa annum 1149 Sigebergam ac postremo per discipulos suos quinque alia monasteria fundasse. Fontes indigenae vero probant Tunsbergam reapse inter annos 1180 et 1200 esse fundatam, alteramque canoniam norvegicam, Dragsmark, multo serius. De praedicatione Sancti Evermodi, qui anno 1178 obiit, et de aliis quinque canoniciis, ne verbum fit quidem, nec aliunde aliquid de hac re probari potest. Atqui Sigeberg idem est ac Langen in Frisia. Ideo totum est rejiciendum, probabiliter inventum est postea, ad augendam gloriam Beati Evermodi.

Sequuntur monasteria fictitia quae suo loco omnes citantur etiam apud Van Waefelghem et Cottineau :

1) Buscha (Hugo, I, 429) probabiliter = Buscht, Butsch, recte Budec, parthenon in Moravia, ab abbazia Lucensi dependens.

2) Grafergos Hac vice assentire debemus Lairuelio, qui



recte eam in Hiberniam collocat. Idem nempe est ac Goodborn-Carrickfergus, canonia virorum in pago Antrim. Hugo I 759 vero de ea facit parthenon prope Oslo, a Tunsberga dependens, et ut dicit, a Friderico Rege (1534-88) suppressum. Antiquae indices usquedum notae, hibernicam Graefgos tantum adducunt.

3) *Iburg* (Hugo I 863). Unum coenobium solum huius nominis in tota Europa est notum : Abbatia O. S. B. prope Osnabrück in Germania.

4) *Merna* (Hugo II 241) = Marne, monasterium duplex Circariae Frisiae. Probabilius vero, ut infra dicam sub 6) idem est ac Ripa Marnae = Aland, in eadem Circaria.

5) *Roeskilde*. Hugo II 985 praetendit quod Absalon, Episcopus Roskildensis in Dania, anno 1177, ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi instigatus, capitulo suae ecclesiae cathedralis consuetudines Praemonstratenses iniunxit. Revera e fontibus indigenis apparet, Absalonem probabiliter — nequaquam certe — vitam canonicam ad normam Regulatorum Sti. Augustini in capitulo suo cathedrali introducere conatum esse, sed in vanum, vel absque successu manenti.

6) *Sigeberg*. Hoc de conventu Hugo II 803 sat minuta praebet. Expresse dicit non esse idem ac canonia huius nominis in Holsatia (Holstein) sita, quae a Sancto Vicelino fundata, Ordini canonicorum Sti. Augustini fuit aggregata. Quid sentiendum vero de hoc monasterio, quod in Norvegia numquam exstitit, iam supra dixi. Secundum Hoogeweg <sup>6)</sup> Sigeberg idem est ac Langen in Frisia Orientali, Tria monasteria huius regionis (Aland, Langen, Barthe) in nonnullis antiquis catalogis, ut in Ninivensi, apud Circariam Frisiae sunt omissa, alio loco vero separatim sunt adducta absque ulteriori additione, sub nominibus Merna, Sigeberg, Werethe. Probabiliter in iis indicibus, quos consulebat Lairuelz, casu haec tria eodem modo post circariam Daniae fuerunt scripta, ita ut suspicari potuit has domus ad illam circariam pertinuisse. Tali modo nempe multi errores sunt orti. Ergo probabiliter 7) *Werethe* (Hugo, II, 1161) idem est ac Barthe in Frisia.

Adducit Hugo noster, I, 121 monasterium *Abbio*, filiam de Tumetolph, quod collocat vero (sicuti Dragsmark) in circariam Saxoniae. Multi historici in Germania, praesertim Winter <sup>7)</sup> hoc

6) *Die Klöster Niedersachsens*, Hannover, 1908, p. 77.

7) FR. WINTER, *Die Prämonstratenser des 12. Jahrhunderts und ihre Bedeutung für das nordöstliche Deutschland*, Berlin, 1865, p. 319.



de problemate in cassum insudarunt, quia nullibi in Germania tale monasterium umquam inventum est. Puto vero Abbio esse idem ac Vă in Circaria Daniae, quod revera fuit filia de Tumetolph-Tommarp, et quod in antiquis indicibus (v. g. in Cat. Ninivensi) Auue nuncupatur.

Windberg

P. Norbert BACKMUND.

## A p p e n d i x

### RELICTUM REFORMATIONIS LAURENTII ABBATIS USNAMENSIS POST VISITATIONEM IN CANONIIS CIRCARIAE DANIAE HABITAM ANNO 1443

Inter paucissimis documentis, quae nobis historiam sat obscuram Circariae Daniae elucidant, unum tantum superest, in quo de disciplina ac de vita interna eius quid refertur, Relictum nempe, quod Laurentius Abbas de Pudagla <sup>1)</sup> in visitatione anno 1443 ad reformandas illas domus statuit. Relictum hoc magni momenti est pro historia ordinis nostri eo magis, quod de circaria illa fere nihil scimus. Originale documentum asservatur in archivo regio Hafniae, publicatus est textus in libris tantum, quae lectoribus nostris, ac membris nostri ordinis practice sunt inaccessibiles.

Ideo proponimus textum, ut habetur in opere « Repertorium Diplomaticum Regni Danici Mediaevalis » vol. III (Hafniae 1906), pag. 619-21, Nr. 7357.

Laurentius abbas Vsenamensis monasterii in Pudglowe, a Domino Joanne abbate Premonstratensium <sup>2)</sup> eiusque capitulo generali in Circariis et partibus Slavie, Dacie et Norvegie ceterisque partibus circumvicinis visitator et commissarius unicus in potestatis plenitudine Dominorum Johannis Mathie de Tumethorp <sup>3)</sup>, Johanni

---

1) Pudagla, Grobe vel Usnam in Pomerania fuit sita, ac pertinuit ad Circariam Slaviae. Laurentius abbas regnavit annis 1435-56, tempore eius haec canonica optime floruit. (HOOGEWEG, *Die Klöster und Stifter der Provinz Pommern*. Stettin, 1925, II, 366).

2) Joannes III de Fara, 1436-43.

3) Antecessor eius Jacobus anno 1435 memoratur, iam anno 1444 vero occurrit eius successor : Joannes Nilsson. (DAUGAARD, *o. c.*).



Andree de Bekkeschogh <sup>4)</sup>, et Nicolao Johannis de Owith <sup>5)</sup> monasteriorum abbatibus ceterisque fratribus canonicis ibidem eiusdem ordinis Lundensis dyocesis. Orationes in anno et ordinationibus nostris et reformationibus, quin ymmo Domini Premonstratensium et eius generalis capituli firmiter obedientie commissum nobis visitationis officium, omni, qua possumus, diligentia adimplere affectanter predictae quendam ammonitionis et exhortationis litteram et pro reductione vestra ad ordinem vestre transmisimus caritati, in qua a vobis exegimus, ut tres canonicos litteratos et ordinis zelatores in nostrum monasterium Pudglowe ad festum natalis S. Augustini nobis cum talliis vestris pretermisissis et litteris quittancearum ultimis mitteretis, ut cum eisdem super statu vestrorum pertractare possemus monasteriorum, in quo quidem festo fratres DDn Johannes Mathie de Tummetorp, Johannes Andree de Bekkeschogh et Nicolaus Johannis de öwith singuli monasteriorum predictorum vestrorum canonici, se nobis ut laudabiles obedientie filii pro parte vestrorum monasteriorum in eodem nostro monasterio Pudglowe presentaverint 30 florenos Renenses pro talliis vestrorum monasteriorum ordini debitos apportando, paupertates et destructiones, necnon oppositiones et gravamina, quae varie sustinetis, nobis exponentes, inquisitione vero cum eisdem fratribus super utroque vestrorum monasteriorum statu habita, pro vestra reformatione subsequenda duximus vobis ordinare et mandare, videlicet ut quilibet praelatus sive abbas monasteriorum vestrorum instituat priorem, cantorem et sacristam, qui suum officium secundum ordinem exsequatur. Quod siquidem prior presit conventum die noctuque ac eidem alii fratres obediant, quod si aliqui (quod absit) eidem priori fuerint inobedientes et rebelles, per abbatem pena gravioris culpa secundum statuta puniantur, nullusque fratrum sive licentia prioris vel abbatis exeat monasterium. Volumus etiam, ut divinum officium tam diurnum quam nocturnum distincte et tractim secundum ordinem persolvatur, a quo nullus, nisi alias obedientiam nominatam habuerit, se absentet, contrarium vero facientes pena contendi in pane tantum et aqua in conventu puniantur. Insuper ordinamus, quatinus novitios, quos ad ordinem suscipitis, professionem et tria vota, secundum quod habent statuta,

---

4) Jens Anderson regnavit inter Olavum, qui 1423, et Nicolaum qui 1468 in documentis occurrit. (*ibid.*).

5) Nils Jonsson. Ex aliis documentis non est notus. Anno 1423 Agho quidam fuit abbas. (*ibid.*).



facere non praetermittatis, illos etiam, qui eandem professionem solempnem non fecerint, ad eam faciendam penis ordinis et censuris ecclesiasticis compellatis. Praecipimus quoque vobis abbatibus, in virtute Ste. obedientie et sub ordinis penis, ut refectoria vestra indilate reparari faciatis, in quibus fratres in unum comedant, a secularibus segregati et legetur eis ad mensam. Negligentie quoque et excessus ordinis in capitulo cotidiano corrigantur et secundum statuta emendantur. Precipimus nichilominus sub excommunicationis et suspensionis sentencie pena, ut quilibet frater tam canonicorum quam conversorum tonsuram et habitum habeat nostre religioni competentem, quem intus et extra monasterium ostendat, nam honor et decor cuiuslibet religiosi et clerici in habitu et tonsura et morum honestate videtur consistere. Insuper si qui, quod absit, vitio fornicationis fuerint turpiter infamati vel convicti, si in officiis vel ecclesiis parochialibus residerint, ab eisdem remoti et ad claustrum revocati debite pena graviore vel carceris premantur; nam propter impunitatem clericalis vitii honor et status decidit in monasteriis et locis prediversis. Preterea quoque vobis ordinando mandamus, ut nullus magnos cultellos et preacutos in Monasteriis portet aut gladios sive alia arma in dormatoriis (sic!) teneat vel conservet; contrarium facientes ipso facto decernimus secundum statuta sententiam excommunicationis incurrisse. Volumus etiam, ut postquam completorium cantatum fuerit, singuli fratres dormitorium ascendant, quod, postquam intraverint, sera usque ad matutinum firmetur. Injungimus etiam vobis prelati, ut canonicis et fratribus vestris conventualibus, qui die noctuque divinum officium frequentaverint, in victu et vestitu sufficienter provideatis, ne propter defectum necessariorum divinum officium, cui etiam interesse, cum vacaveritis, debetis, et maxime in festis, negligatis. Hec omnia, et alia singula regularia precepta et statuta cum regulari silentio tempore et loco debito, et ut quilibet prelatus audiat confessiones singulorum fratrum ter in anno et faciat excommunicationes propriariorum, conspiratorum et aliorum, et ut unus prelatus adiuvet alium, ubi necessitas et dubius casus occurrerit, ordinatis et reformatis ut per sedulum divinum servitium et honestam et regularem vestram vitam et hic laudem et gloriam ab omnibus et post hanc vitam eterna premia a Deo consequi valeatis, a nobis quoque vestra devotio et obedientia merito valeat diligi et commendari. Mandamus vobis Dno abbati de Tummetorp, predicto, ut presens nostre reformationis relictum in conventu capitulariter congregato legi et exequi ac etiam in aliis vestris monasteriis eius transsumpta penes priores



observari cum effectu faciatis. Ceterum suspensionis et excommunicationis sententias, quas propter non solutionem talliarum vestrarum aut alias incurristis, tollimus, suspendimus et auctoritate nobis commissa relaxamus in nomine Domini in hiis scriptis usque ad sequentis proximi anni festum assumptionis Virg. Marie, ad quod festum mittetis nobis Pudglowe unum vel duos de vestris canonicis, et si perceperimus vos una cum vestris reformatos secundum prescripta et emendatos, meremini plenariam absolutionem et dispensationem obtineri. Sigillum nostrum. Datum et decretum in monasterio nostro Pudglowe, die 3a mensis septembris anni mccccxliij.